



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXVII. Anselmus Franciscus. Elector LI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

men non nisi obscuram habemus notitiam, non propriam, sed divini Numinis gloriam scopum præfixisse ex eo conicere licet facile, quòd in agone ultimo nunquam non repetendum sibi putaverit illud, quòd Ecclesia Orthodoxa continuo repetit dicens: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Mors vivis eripuit an. 1678. sub Pont. Innocentio XI.

LXVI. CAROLVS HENRICVS
ELECTOR L.

Carolus Henricus de Metternich Lothario Friderico Moguntia Electori abhinc annis 4. defuncto sanguinis propinquitate simulque morum & studiorum conformitate conjunctus totidem, quot ille, vixit annos, an. ætatis 57. jam sepultus, decem mensium duntaxat Elector. De Ecclesia simul Moguntina & Trevirensi optimè meritum dixerunt præsertim Canonici illi, qui primò utriusque Ecclesiæ custodem, mox verò Moguntia, ut vocant, Chori-Episcopum, & demum Archipræfulem elegerunt. De Imperio non minùs optimè meritum dixit testis maximus Leopoldus Imperator, qui Carolum hunc ob varias legationes laudatissimo modo obitas, & præclara alia in Republicam merita Imperii Comitibus annumerandum censuit. Cæterùm quantam Elector hic fiduciam in DEum conceperit, verbis propriis instar Symboli ftequenter adhibitis manifestavit, dum dixit: *spe fretus divina, saltando superabo mœnia*. Saltus tamen aut lapsus immaturus nimis præcipitem egit in sepulchrum an. 1679. sub Innocentio XI.

LXVII. ANSELMVS FRANCISCVS,
ELECTOR LI.

Anselmus Franciscus ex clarissima familia Rhenana de Ingelheim mundo natus, in Moguntina æde Cathedrali diversos contendit honorum gradus, quos inter Archipresbyteri

byteri non fuit postremus. Erfordia exinde urbi Administrator datus, multis virtutibus suis amplius illustravit alias jam præclarum nomen. Creatus denique Moguntia Elector inimica sustinuit fata, primò intentata, & mox inflictà à Gallis Germanorum hostibus, à quibus Sedem relinquere suam coactus, Erfordiam aufugit, ubi per annum commoratus inter spem metumque hæsit. An. 1689. à Cæsareis copiis Solio suo restitutus, venit inde Augustam Vindelicorum, ubi coronis regis Augusta Capita, nimirum Josephum Romanorum Regem, & huius Genitricem Eleonoram Magdalenam exornavit, rebus multis aliis in Imperii emolumentum ibidem compositis. Annis reliquis unum, quin & alterum sibi delegit Adjutorem, quorum primus Ludovicus Antonius Dux Palatinus in flore ætatis an. 1694. est defunctus, singulari Moguntinorum, Wormatiensium, & Leodiensium, quibus jam prius Episcopus præluxit, luctu ac mærore. In huius igitur locum vocavit sibi in officio arduo Adjutorem, quem etiam hodie demississimè veneramus Lotharium Franciscum, cui Anselmus post Sedis annos 16. an. 1695. quævis in terris reliquit onera, & munera. Sederunt Pontifices Innocentius XI. Alexander VIII. & Innocentius XII.

LXVIII. LOTHARIUS FRANCISCVS ELECTOR LII.

Lotharius Franciscus inter sydera Schönbornensia, ut ita dicamus, in cælo Ecclesiæ militantis, & Imperii Romani pugnantis ac certantis, jam pridem, hodièque lucidissima, Ecclesiam Bambergensem an. 1693. majori suo lumine cœpit illustrare, lectus eodem tempore Episcopus. Idem anno, uti dictum superius. 1649. Moguntino Archiepiscopo Coadjutor, ut vocamus, exoptatus perbene, an. 1695. extincto Anselmo Electore tanquam clarissimo lumine inter primæ magnitudinis sy-

K

dera